

que ex Venetis annalibus ( quos utique jam nullos habemus ) neque ex scriptorum aliquo , præterquam ab uno Cepione , qui Petri Mocenici gesta eleganti & venusto scriptis stylo , accepimus : sed sparsim ab iis qui rebus , ut dixi , gerendis interfuerent , quorum alii alia , partim libellis de hoc ipso ad me datis , partim coram subjecere . Verum in eo historiæ cavimus , qui non in multis singulos , sed in singulis multos auctores habere voluimus : ac si quid interim fuit , in quo variare mihi visi sint , & plures , & magis idoneos dignos duxi , quos potissimum sequeremur . Ab his igitur , quid Capellio præfecto actum sit , vel quia nihil ejus auspiciis , ob classis tenuitatem , sit gestum , vel , quod magis credo , quia quandiu classi præfuit , bellum non sit hostibus illatum , præter hæc quæ dixi , non repetio . Illud ab Andreocio Chalcidensi sene accepimus : ad viaticum quantumvis magnæ classi expediendum , furnos quamplurimos illo auctore in Chalcide constructos , urbemque magnâ ex parte operibus munitam .

Cæterum constat sub initium belli , quo tempore Venetus Isthmum munire est adortus , in Corinthiaco sinu firmissimum Venetos præsidium aliquanto antea paratum habuisse , quod ab illo prius quam Alovifius Lauretanus in provinciam venisset , militari opere constructum , ut affirmare , ita negare non ausim : satis constat , decreto bello , in Peloponneso , ubi injuria erat accepta , primum arma intentata . Tantis per autem dum maiores ex Italia copiæ mitterentur , quædam peditum centuriæ , quæ ad eam diem in peninsulam venerant , Petri Palmerii ductu , & cum eo leves equites ducenti , quos *Stratiotas* Græco nomine appellant , irruptione in hosticum repente facta , ignobile oppidum inter Arcadiam & Methonem subito incursu ceperunt , præsidioque cæso ingentem ex circumjecto agro prædam abduxere . Paucis inde diebus Bertoldus Æstenis , Betinus Calcinatius , Ciccus Brandolinus , Joannes Atellanus , Rubertus Tienius , Joannes Massanu , Leo Illyricus , ac plerique alii illustres ea tempestate viri Methonem cum validis copiis applicuere : hinc Neapolim omne robur militum